



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opvscvlvm, De Vitis Romanorvm Pontificvm

Liutprandus <Cremonensis>

Mogvntiae, 1602

XLV. S. Caelestinvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11115

Eulalius omnino expulsus est, & in Campaniam missus, ideo quia Sabbatho Paschæ contra edictum Imperatorum officium Pontificis præsumpsit, eo quod ordinatus fuerat in basilica Constantiniana. Bonifacius verò consensu & præcepto Imperatorum in urbem est reuocatus, & in sede stabiliter constitutus. Hic ordinauit Episcopos 36. presbyteros 13. diaconos 3. Defunctus est autem 8. Kal. Nou.

^a epist. 2.

3. 9. 9. c. decernimus.

^b in rescripto ad 1. ep. Bonifacii.

Hic Gallicanis Episcopis ^a epistolam direxit, in qua iubet pro Maximo Episcopo, qui à Valentinae urbis clericis accusatus multotiens iudicium subterfugerat, intra prouinciam Synodum aggregandam: ut si ille adesse voluerit præsens, si confidit, ad obiecta respondeat, si adesse neglexerit dilationem sententiæ de absentia non lucretur, quia manifestum est confiteri eum de crimine, qui indulto & totiens delegato iudicio purgandi se voluntate non utetur. Prædicti Papæ temporibus, ipso consentiente & laudante, Honorius Augustus de constitutione Romani Pontificis, ut sine ambitione fieret, ita ^b instituit, dicens. *Denique, prædicante beatitudine tua id ad cunctorum clericorum notitiam volumus peruenire, ut si quid forte religioni tuæ, quod non optamus, humana sorte contigerit, sciant omnes ab ambitionibus esse cessandum; & si duo contra fas temeritate certante fuerint ordinati, nullum ex his futurum penitus sacerdotem, sed illum solum in sede Apostolica permansurum, quem ex numero clericorum noua ordinatione diuinum iudicium, & vniuersitatis consensus elegerit.* Hic etiã constituit, ut nulla femina aut monacha palam sacratam cõtingeret, aut lauaret, aut incensum per Ecclesiam, nisi ministri, portaret. Prohibuit etiam, ne seruus, aut curiæ obnoxius clericus fieret.

XLV.

S. CÆLESTINVS.

A. ccccxxiii

^a epist. 1.

CÆLESTINVS, natione Romanus, ex patre Prisco, sedit annos 8. menses 10. dies 17. Hic ordinauit Episcopos 46. presbyteros 32. diaconos 12. migravit autem ad Christum 8. Idus April. Hic Gallicanis Episcopis ^a epistolam direxit, in qua monet eos, ut presbyteros illos, qui indisciplinatas quæstiones in medium afferebat & veritati aduersantia prædicabant, & Ecclesiarum dissensionibus studebant, corripiant, & non patiantur eos habere liberum pro voluntate sermonem, quia non debet discipulus ad Doctorum iniuriam sibi vendicare doctrinam. Idem dicit, ut Episcopi prædictos presbyteros talia eloqui non permittant, *quia in talibus causis non caret taciturnitas suspitione, quia occurreret veritas, si falsitas displiceret. Merito namque, inquit, causa nos respicit, si silentio faueamus errori.*

Item Episcopis per Viennensem & Norbanensem prouinciã

con-

constitutis aliam destinavit ^b epistolam, in qua mandat ne vltra ^b epist. 2.
 quoslibet illum morem patiantur seruare, videlicet, vt credentes
 se sanctæ scripturæ fidem non per Spiritum, sed per litteram com-
 pleturos stent in Ecclesia pallio amicti, & lumbos accincti, sicut lu-
 cernas ardentes cum baculo in manibus non tenent: rudes enim
 fidelium mentes ad talia non debent induci. **ITEM** in eadem iubet
 ne alicui in vltimo postulanti pœnitentia denegetur, quia vera ^{26. q. 6. c. agno-}
 ad Dominum conuersio in vltimis positorum mente potius est ex- ^{nimus.}
 istimanda quàm tempore, hoc asserente propheta. Cum conuersus ^{Ezech. 33.}
 ingemueris saluus eris. Item prohibet, ne quemlibet, qui Ecclesia- ^{Dist. 59. c. or-}
 sticis gradibus per ordinem non fuit initiatus, ad Episcopatus offi- ^{dinator.}
 cium peruenire patiatur, nec illum, qui virginum incestu pollutus
 esse asseritur, & qui ralem ordinauerit dignitatē Episcopatus, sic-
 ut & ipse ordinatus, non obtinebit. Item iubet, vt vnaquæq; pro-
 uincia suo Metropolitano sit contenta, & vnusquisq; contentus si-
 bi concessis limitibus in alterius prouincia nihil præsumat: nec e- ^{Dist. 61. c. nec}
 meritis in suis Ecclesiis peregrini & extranei præponantur ad exclu- ^{meritis. & c.}
 sionem eorū, qui benè de suorū ciuium testimonio merentur. Item ^{nullus.}
 iubet, vt nullus inuitis detur Episcopus, nisi cleri & plebis & ordinis
 consensus, & desiderium inquiratur, tunc alter de altera eligatur
 Ecclesia, si de ciuitatis ipsius clericis, cui est Episcopus ordinadus,
 nullus dignus, (quod euenire nō credimus) potuerit inueniri. *Primū*
n. illi reprobandi sunt, vt aliqui de alienis clericis merito præferantur, habeatq;
vnusquisq; suæ militia fructū in Ecclesia, in qua suā per officia omnia trāsegit
etate. Sit facultas clericis renitēdi, si se viderint prægranari, & quos sibi in-
geri ex transuerso cognouerint, nō timeat refutare. In eadē etiā iu-
bet, vt ab illicitis abstinenceat ordinationib. ita dicens, Nullus ex laicis,
nullus digamus, nullus qui sit aut fuerit vidua maritus ordinetur, sed irrepre-
hensibilis, & qualem elegit Apostolus. Et inferius dicit. Et si quæ sunt fa-
ctæ ordinationes illicitæ, remoueantur, quoniam stare non possunt, nec discuf-
sionem nostram subterfugere. ^{1. Tim. 3.}

ITEM prædictus Papa vniuersis Episcopis per Apuliam &
 Calabriam constitutis ^c epistolam destinavit, in qua præcepit, ne vl- ^c epist. 3.
 li sacerdoti suos canones liceat ignorare, nec quicquam facere, ^{Dist. 38. c. nulli}
 quod Patrum possit regulis obuiare. Item, ne quis laicum ad
 ordinem clericatus admittat. Item, quod populus sit docendus, ^{Dist. 62. c. do-}
 non sequendus, eosq; si nesciunt, quid liceat, quid ué non, nos com- ^{cendus.}
 monere, nec his consensum præbere debemus. *Quisquis verò conatus*
fuerit tentare prohibita, sentiet censuram sedis Apostolicæ minimè de futuram:
Quem enim sola admonitionis auctoritate non corrigimus, necesse est, vt per
seueritatem congruentem regulis vindicemus. **G 4** **XLVI.**